Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri
Clementis XII. Pont. Max. Constitutio.

Qua ordini fratrum Prædicatorum Privilegium conceditur, ut secularibus adolescentibus, theologicæ facultati in eorum studiis, scholis, gymnasiis, et collegiis triennalem operam dantibus, lauream doctoratus, seu magisterii, et gradus in sacra theologia, iis pares conferre possit, qui in publicis studiorum universitatibus solemni cæremonia conferuntur.

Romæ, MDCCXXXIII.
Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

Clemens episcopus servus servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

Verbo Dei scripto, et tradito innixam scientiam, res divinas, et mores, christiano homine dignos, ad rectam Ecclesiæ ministrorum institutionem, et salutem animarum, solide, pertractantem, eius que Doctores ac magistros, pietate venerabiles commendari tunc maxime convenit, quum, ingruente falsorum dogmatum illuvie, fide catholica, et Christiani mores, supremæ curæ nostræ commissi, periclitantur: quo loco decessores nostri Romani Pontifices Sanctum Christi Confessorem Thomam Aquinatem Ordinis Prædicatorum, et Ecclesiæ Doctorem, honoris causa Angelici cognomento appellatum, semper habuerunt; eum propterea iustis laudibus in suis diplomatibus prosequuti, et præsertim Alexander IV. qui Thomam, adhuc viventem, per Dei gratiam thesaurum literatæ scientiæ adeptum pronunciavit, in que eius vestigia subinde incurrentes alii Romani Pontifices subsequuti, Johannes XII. Clemens VI. Urbanus V. Nicolaus V. Pius IV. et beatus Pius V. Xystus V. Clemens VIII. Paulus V. Alexander VII. Innocentius XII. et Benedictus XIII. qui omnes, uno eum ore adprobantes, inter sacros Ecclesiæ Patres juxta ac magnos Ecclesiæ Doctores, Gregorium, Ambrosium, Augustinum, et Hieronimum, Thomiam quoque, ut viæ probitate, et sanctioris theologiæ scientia venerabilem, miraque eruditione Ecclesiam Dei clarificantem, ac sancta operatione fœcundantem, coli voluerunt.

Itaque tanti viri doctrinam, in Conciliis etiam œcumenicis celebratam, debitis præconiis, rei publicæ causa nos quoque ornare incipientes; quum dilectus noster in Christo, ac fratris germani filius, Nereus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis sancti Hadriani, Corsinus nuncupatus, necnon eque dilecti Ordinis Fratrum Prædicatorum protector, flagitantibus eiusdem Ordinis Fratribus, Magistro, et procuratore generalibus, Thoma Ripollio, et Guillelmo Molo, submissas preces nobis obtulerit, ut præcipuo quodam, et speciali modo eiusdem sancti viri doctrinam, in gymnasiis Ordinis eorumdem Fratrum Prædicatorum, non unis Regularibus, sed etiam externis secularibus alumnis, illuc ad eam perdiscendam confluentibus, tradi solitam, pro nostra erga Beatum Thomam devotione, totumque Ordinem, de Ecclesia præclare meritum, singulari benevolentia, ornare dignaremur, ut adolescentes, aliquo veluti præmio animati ad Beati Thomæ doctrinam cum Dei gratia intellectu conspiciendam, alacrius incumberent; quandoquidem nullum in iisdem gymnasiis præmium, nulla ipsis expedita via pateat ad eas Ecclesiæ dignitates consequendas, quæ in sacræ paginæ doctrina, lauream, quam vocant, licentiam, vel gradum publice adeptis, alias de more conferri debent; nos huiusmodi precibus, pietate, ac iustitia subnixis annuere volentes, ad amplificandam

v quibuscumque
* scholaribus solem-
ni ceremonia
conferri solent:
idem que omni-
no privilegium
omnino valere
statuimus in
quibuscumque &c.a
v
*

sub tanto magistro probe, incorruptæ que doctrinæ studium inter iuvenes, divino famulatui
per sacratiores disciplinas addictos, motu proprio, ex certa scientia, et mera volumtate nostra
de que Apostolicæ potestatis plenitudine, in quibuscumque gymnasijs, scholis, studijs, et collegijs Ordinis
fratrum Prædicatorum, extra ceteras studiorum generalium Vniversitates erectis, vel erigendis
concedi, extendi, et prorogari volumus ac decernimus pro externis quibuscumque secularibus
in ijsdem gymnasijs theologicæ facultati toto triennio absolutam operam dantibus, omnia, et sin-
gula Apostolica privilegia, ab antecessoribus nostris Romanis Pontificibus concessa iuxta con-
suetudinem, et methodum præscriptam, vel prescribendam ab eodem generali Ordinis Præ-
dicatorum Magistro, vt post præmissum diligentis probationis examen, laurea doctoralis, seu magis-
tralis, præsentatura, licentia, baccalaureatus, atque alij gradus consueti in sacra theologia libere
et licite conferantur: quos quidem gradus ijs pares esse volumus, qui in hoc nostro Archigymna-
sio, et Academia, Romanæ sapientiæ nuncupato, v quibuscumque insignioribus civitatibus, et locis,
in quibus seculares iuvenes theologicæ facultati operam daturi scholas Ordinis fratrum Prædicatorum fre-
quentare permittuntur, sive pauperes, sive etiam divites sint, quos Vniversitatum officiales ad gradus
promovere fortasse recusaverint; etiam si alias in ijsdem locis publicæ huiusmodi, et ordinariæ studi-
orum Vniversitates eis pateant; ita vt postquam ijdem seculares, et externi iuvenes, sine præiudicio
quorumcumque iurium ipsis Vniversitatibus de more persolvendorum, a qua solutione divites ex-
imi non debent, ad tam dictos gradus solemni ceremonia probati ac promoti fuerint, de eadem
ac facultate prælegere, disputare, ac alios quoscumque actus ad id necessarios, vbique facere
possint, omnibus que, et singulis privilegijs prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, præ-
cedentijs, favoribus, gratijs, et indultis vti potiri, et gaudere possint, quibus alij prævio diligenti examine
in studiorum generalium Vniversitatibus iuxta earundem leges, ordinationes, vsus, ritus, et mores
de iure vel consuetudine, aut alias quomodocumque vtuntur, potiuntur, et gaudent in omnibus
et per omnia, nullo prorsus discrimine, ac si gradus suos in publicis Vniversitatibus, et non alibi ac-
cepissent, hac una inre, si, et quatenus unquam fortasse opus esset, propterea derogantes consti-
tutioni nostræ pridem editæ, quæ incipit: Romanus Pontifex.

Præsentes quoque literas, et in eis contenta, et expressa quæcumque nullo unquam tempore de
subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, etiam ex eo, quod causæ pro-
ter quas illæ emanarint coram nobis vel alibi adductæ verificatæ et iustificatæ, ac quicumque
præmissis et circa ea interesse quomodolibet habentes, seu habere prætendentes, ad id vocati,
auditi non fuerint, et consensum eisdem non præstiterint aut quovis alio quantumvis substantiali
defectu, fortasse laborarent: sive etiam ex eo quod in eis solemnitates, ac quævis alia servanda, et
adimplenda servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, vel causa etiam quan-
tumvis legitima, iusta, et privilegiata, quæ que ad id exprimenda esset expressa non fuerit, notari
impugnari, invalidari, in ius, vel controversiam vocari, ad viam, et terminos iuris reduci, aut
in illas quodcumque iuris vel facti remedium aut oris operitio impetrari: neque illas sub quibus-
vis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus suspensionibus, limitationibus, derogationibus
aut alijs contrarijs dispositionibus comprehendi possint; sed semper excipi debeant, et quoties cumque
emanaverint, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie integra-
tas, ac denovo etiam sub quacumque posteriori data v per prædicti Ordinis fratrum Prædicatorum Magis-
trum ac Procuratorem generales, protempore existentes quandocumque eligenda, concessas, va-
et efficaces, fore, et esse, suos que plenarios, et integros effectus in omnibus et per omnia sorti-
et obtinere, dictis que fratribus, ac secularibus apud eos, vt prædicitur, theologicæ facultati tri-
nalem operam dantibus, et ad gradus huiusmodi, vt præfertur, promovendis, alijs que, ad quos
nunc spectat, et in posterum quomodolibet spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suf-
fragari volumus. Sic que et non alias per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos qua-
auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolicæ Auditores, ac prædicti ordinis Prædica-
protempore existentem protectorem, alios que Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, etiam
de latere Legatos, Vice legatos et sedis Apostolicæ Nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis
aliter iudicandi, definiendi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari deffiniri et interpre-
debere: et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter con-
tigit attentari irritum, et inane ~~de cernimus~~ decernimus.

Non obstantibus, quatenus opus sit, una de non concedendis gratijs ad instar, et altera
nostris, et Cancellariæ Apostolicæ regulis de iure quæsito non tollendo, ac etiam in synodalibus pro-
vincialibus, generalibus vniversalibus que concilijs editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus
constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegijs quoque, indultis et literis Apostolicis quibus-

personis alias in contrarium premissorum quomodolibet concessis approbatis, et inovatis: quibus omnibus, et singulis, etiam si de illis earumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quevis alia expressio habenda foret, earum tenores eisdem presentibus, etiam pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut ipsarum presentium transumptis, etiam impressis alicuius indignitate ecclesiastica constitute persone sigillo, et notarij manu obsignatis, vel etiam saltem extra Italiam, sigillo, et subscriptione Magistri Ordinis, aut Provincialium eiusdem Ordinis protempore, munitis eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud adhibeatur, que adhiberetur presentibus, si forent exhibite, vel ostense.

Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostre concessionis, extensionis prorogationis, voluntatis decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Rome apud Sanctam Mariam maiorem anno incarnationis Dominice millesimo septingessimo vigessimo tertio quinto Kalendas septembris, Pontificatus nostri anno quarto= A. Card. Prodatarius= F. Card. Oliuerius= Visa de curia J. Archiepiscopus Ancyranus= Loco ✠ Plumbi= D. Silvanus= Registrata in secretaria Brevium.